

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9132

Autre(s) référence(s) : Round 835

Auteur(s) : Geoffroy de Montfort [particulier]

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1179-1181]

Lieu d'émission : Rennes

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Geoffroy de Montfort fait connaître l'accord qu'il a conclu avec Savigny devant l'évêque de Rennes à propos des églises de Quetteville-sur-Sienne et Gouville-sur-Mer : Savigny obtient le droit de présentation de l'église de Quetteville et ils se partagent dans les deux paroisses la dîme de certains produits, sauf vingt quartiers d'orge sur la dîme de Gouville qui seront dûs en commun à l'abbaye de Lessay.

Tableau de la tradition

Copies manuscrites

D. Paris, BnF, n. a. lat. 1022, n° 149, p. 145-147. Copie du XIXe siècle

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 835.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Constanciensi, n° II)

Texte d'après D

Ego Gaufridus de Monteforti presentibus et futuris notum fieri volo quod controversia que fuit inter me et monachos Savigneii super ecclesiis de Kettevilla et Goevilla, consilio bonorum et sapientum virorum, apud Redones in presentia domini Philippi Redonensis episcopi tali compositione concordata est. Monachi Savigneii presentationem ecclesie de Goevilla in perpetuum obtineunt ; ego vero et mei heredes presentationem ecclesie de Ketevilla similiter habebimus. In utraque autem parochia dictarum ecclesiarum percipient monachi unam utraque autem parochia dictarum ecclesiarum percipient monachi unam medietatem omnium decimarum furgum ; scilicet leguminum, lini, cannabi, animalium, fructuum et lanarum ; in partem vero meam et meorum heredum sedet altera medietas, salvis tamen in decimis de Govilla XX quarteriis ordei Exaquiensis monasterii qui de communi annuatim reddentur. Persone et vicarii utriusque ecclesie coram episcopo aut clero Constanciensi juramento firmabunt tam monachis quam mihi et meis heredibus jus ipsorum monachorum et decimatores mei et heredum meorum effidabunt dictas

decimas fideliter congregare ad locum de utriusque partis assensu assignatum, ibique II in partes equas predictae decime dividantur, earumque medietatem unam monachi qui voluerint deportabunt, ego vero et mei heredes similiter alteram. Si vero Dominus, qui operatur omnia in omnibus, cor et animum meum aut heredum meorum sua gratia ad hoc induxerit ut jus nostrum ecclesie de Ketevilla et jamdictarum decimarum utriusque parrochie alicui ecclesie aut alicui religioni dare velimus, ecclesie Savignei et nulli alii id donabimus. Prior Savignei et fratres ejus Mainguidus, Rogerus de Estotevilla, Galterus de Romagneio, Juhellus Caillou, Ricardus Bastart, litteras sui abbatis et capituli de rati habitatione pretendentes in verbo monachi et sacerdotis condixerunt se pactum hoc fideliter servaturos et a suis firmiter servari facturos. Ego quoque et mei milites, Robertus filius Hugonis, Willelmus de Gebreseio, Willelmus prepositus, Ruelendus de Monte Orfin, Boterellus de Bosco jagu, predictam compositionem nos fideliter servaturos et a nostris firmiter servari facturos in manu Petri Redonensis archidiaconi fide corporali firmaverunt. Uxor etiam mea Gervasia et nostri liberi Radulfus, Willelmus, Rollandus, Eudo, Matildis et Amicia huius concordie benignum prebuerunt assensum et concessum. Cui concessioni presentes affuerunt dictus archidiaconus, cellerarius Sancti Melanii, Willelmus Bec, Willelmus de Vira, Petrus Claudus, monachi de Savigneio, Mainguidus, Rogerus de Estotevilla, Galterus de Romagneio et frater Bernardus. Si autem monachi aut ego sive aliqui heredum meorum inde cartas vel privilegia vel alia munimenta habuerimus, huic compositioni non obstabunt. Notandum vero quod facta est ista compositio salvo jure Constanciensis ecclesie ; persona siquidem monachorum vel vicarius jura episcopalia de Goevilla reddet, persona vero mea et heredum meorum vel vicarius jura episcopalia de ketevilla persolvat. Ut autem concordia ista firma in perpetuum permaneat et inconcussa, presenti carta mea eam muniri et sigillo meo roborari feci. Hujus compositionis testes sunt Robertus filius Hugonis, Johannes filius ejus, Gaufridus Boterel, Rualendus de Monte Orfin, Johannes filius Helie de Albigneio, Johannes de Monte Orfin, Robertus presbiter de Saeio, Willelmus de Vira et plures alii.